

metu obsidionis passim in ciuitates proximas dilapsi. Multa milia hominum caesa; capta (sex milia) et octo elephantum. Haec ultima in Sicilia Marcelli pugna fuit; uictor inde Syracusas rediit.

- 8 Iam ferme in exitu annus erat; itaque senatus Romae decreuit ut P. Cornelius praetor litteras Capuam ad con-
9 sules mitteret, dum Hannibal procul abesset nec ulla magni discriminis res ad Capuam gereretur, alter eorum, si ita uideretur, ad magistratus subrogandos Romam ueniret.
10 Litteris acceptis inter se consules compararunt ut Claudius
11 comitia perficeret, Fuluius ad Capuam maneret. Consules Claudius creauit Cn. Fuluium Centumalum et P. Sulpicium Serui filium Galbam, qui nullum antea curulem magistratum
12 gessisset. Praetores deinde creati (L. Cornelius Lentulus M.) Cornelius Cethegus C. Sulpicius (C. Calpurnius) Piso.
13 Pisoni iurisdictio urbana, Sulpicio Sicilia, Cethego Apulia, Lentulo Sardinia euenit. Consulibus prorogatum in annum imperium est.